

Mulieris semen est ejusdem essentiae cum ipsa muliere. Hacratione *Christologia nostra* non alium nobis exhibet *Redemptorem* & *apud Deum mediatorem inter Deum & homines*, 1. Tim. II. v. 5. quam qui sit verus secundum essentiam Deus, & verus quoad Essentiam Homo, verus & unus Θεός ἄρωπος, vel ἰησοῦς υἱὸς γεν. IV, 1.

§. XIV.

Hinc etiam porro ratione *Formae* necessario sequitur personalis unitas, quia *Semen Mulieris*, hoc est, integer homo & Jehova λόγος aeternus *Dei Filius*, aut secunda persona Deitatis per ipsum *Verbum Patris* est unus *Messias*, unus *Serpentis Victor*, unus *irati Dei reconciliator*, unus *lapsi hominis a Serpentis Tyrannide Liberator*, in quo satis clare *personalem unionem*, juxta Verborum statum accuratum vere cernimus, & juxta divinam revelationem firma fide credimus, quod nimirum haec *Seminis Mulieris cum Jehova Unio* sit primo *Vera*, secundo *proprie dicta*, tertio *intima*, quarto *σφιχτοεισική*, quinto *arctissima*, sexto *inseparabilis*, septimo *indivisibilis*, octavo *immutabilis*. &c.

§. XV.

Neque finem *Compendium* nostrum *Christologicum* negligit, sed finem unionis personalis multis indicibus aperit, & sic datur in *Compendio* nostro *communicatio Verbalis*, quoad *Propositiones personales*, tum quoad *propositiones bypostatias*, tum quoad *Idiomaticas*. Ad illas referimus: *Deus λόγος est semen Mulieris*, & vice versa, *Semen Mulieris est Deus λόγος*, sicut mox *Cap. IV. v. 1.* sub alia forma sequitur: *Hic vir κατ' ἐξοχήν*  
C talis